nus et Tanais incola Atlanticas noscant Hesperides et eorum etiam gustent aurea mala, ferventes Aethiopes et Nilum et Libycas postes gelidus Hyperboreus lustret et Sarmata. Sic et Hispanus Maurusque visitatus visitet Persas et Indos et Caucasum, et Thule ultima calcet Taprobanis littora. Et cum sua invicem permutant bona, non solum mores (**222 a**) legesque et habitus mirentur, fit quinimo, qui se dum alterum intuetur, ex altero quasi sit mundo, nec uno eodemque secum illi ambiri oceano arbitratur, ritus misceat, fidem mercimoniis communicet, amicitias jungat, et dum sua docent, idiotica discant et aliena. Et sic fit, ut quos fecerat distantia locorum extraneos, navigatio jungat faciatque concordes. Quis quaeso umquam F.F.F. credidisset futurum socium infidelium, et familiarem fieri irrenatorum, cui etiam necesse factum est applaudere Turco et confidere et connivere Sarraceno, concordare Tartaro, obtemperare Arabi et Aegyptio, reverentiam exhibere Mahometo, timorem ostendere barbaro? Hoc totum mare conglutinat.

Sunt praeterea et alia multa, quae etsi tanta non sint admiratione conspicua, sunt forsan utilitate continua cariora. Praebet hoc mare lembis infinita piscationum commoda, quibus fit, ut opipares divitum mensae magnis atque sapidis piscibus onerentur et pauperes minoribus nutriantur, hoc insuper praestante tranquillo ex insulis fertilibus pecora, jumenta atque frumenta, et opportuna quaecunque victui et continentem etiam alterutrum deferantur. Dat validis infirmisque lavara et sale suo valere facit insipida, humectat adjacentes undique terras ejusque meatu subterraneo fistula implet, ex quibus fontes habemus et flumina, quorum nisi susceptor adesset, in convallibus maxima hominum peste marcerent. Et breviter antiqui consideratis naturis rerum aquam omnino primam fuisse causam asserebant, eamque in se divinam habere mentem omnia producentem, nec aliter quam apud nos plantas humectet, sic ex abysso scaturiginibus emissis in coelum usque sidera et ornatum reliquum manù madida fabricasse. Et tantum de illo.

Ende

Exitus et recessus a mari.

Anfang

Igitur post datam mari benedictionem conduximos equos et terrestri itinere procedere incepimus et uno impetu de Margero

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;